

Hermann Jacob Lasius

Historiae Exiliorum, In Quae Academia Rostochiensis Saeculo XV. Missa Pulsaque Fuit ...


**[2,2] : Ad Dies Spiritui Sancto Sacros Digne Celebrandos Ac Agendos :
Particulae Secundae, Quae Enarrat Secessionem Lubecam Factam Sectione
Altera Ac Ultima**

Rostochii: Adler, 1793


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824013212>


Band (Druck) Freier  Zugang





Ph. l. - 240 (2.) <16. Jh. >





AD DIES ~~22~~
SPIRITVI SANCTO 3
SACROS

DIGNE CELEBRANDOS AC AGENDOS
HORTATUR 12.

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS RECTOR
HERMANNVS IACOBVS LASIVS
GRAECAE LITERATVRAE PROFESSOR P. O. /

PRAEMISSA
HISTORIAE EXILIORVM,
IN QVAE ACADEMIA ROSTOCHIENSIS
SAECVLO XV. MISSA PVLSAQVE FVIT,
PARTICVLAE SECVNDAE

QVAE ENARRAT
SECESSIONEM LVBECCAM FACTAM
SECTIONE ALTERA AC VLTIMA.

ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS 1793.

ADRIANUS VI. PONT. MAX. APOSTOLICE SEDIS LEGATUS
SACR. PALATII AUSTRIACI AULICUS CONSILIARIUS
SACR. PALATII AUSTRIACI AULICUS CONSILIARIUS
SACR. PALATII AUSTRIACI AULICUS CONSILIARIUS
SACR. PALATII AUSTRIACI AULICUS CONSILIARIUS
SACR. PALATII AUSTRIACI AULICUS CONSILIARIUS
SACR. PALATII AUSTRIACI AULICUS CONSILIARIUS
SACR. PALATII AUSTRIACI AULICUS CONSILIARIUS
SACR. PALATII AUSTRIACI AULICUS CONSILIARIUS
SACR. PALATII AUSTRIACI AULICUS CONSILIARIUS



Historiam ut exiliorum, quibus nostra literarum Universitas Saeculo XV. fuit adflicta, ac in primis eiusdem secessionem Lubecam factam, ad finem perducamus, adhuc, ex promissi lege, in commentatione Paschalibus sacris proxime dicata dati, restat, ut, quoad eius fieri possit,

III.

disquiramus, quam diu Academia fuerit Lubecae commorata, ac quo anno temporeque ad lares patrios reverterit? Cui sum disceptationi paucis, praesertim ex pervetusto, saepiusque iam laudato, Academiae Albo subiuncturus recensioem factorum, quibus haec Musarum sedes in primis post reditum annis gavisa est.

Quia, quosdam si querentes audias, maiorum nostrorum in primis incuria ac negligentia tanta fuit, multa ut hac in quaestione et disceptatione obscura, tenebris involuta caecis, — quae tamen iusta adhibita cura, ut ex infra dicendis patebit, dispelli possunt, — atque intricata sint; huius commorationis *Lubecensis* et reditionis in patriam tempus haud sine difficultate, ut illi quidem quiritantes opinantur, potest accurate definiri, nec sine controversia ad liquidum perducı, quippe hac adhuc de re secum historici ambigant, in utraque parte habita disputatione,

Melioris ordinis ergo hanc primo litem diremturus, iudicium meum, calculis vite ac cum cura positus, interponam; deinde argumenta meae sententiae contraria, a quibusdam scriptoribus allata, nec veri speciei destituta, confutaturus, eorumque vanitatem demonstraturus sum.

Quod ergo ad primam huius disquisitionis partem attinet, quin cum FRANCKIO ¹⁾ et Ill. RUDLOFF ²⁾ faciamus, minime dubitamus, nec haesitamus, arbitrati, *Academiam A. MCCCCLXXXVIII. Lubeca in solum patrium revertisse*, neque rationes, nos ad hanc amplectendam sententiam cominoventes, sunt levidentes, sed potius magni momenti.

Nam licet Professores exules atque a solo patrio extorres, *Lubecae* fuissent comiter excepti; in hac tamen sede temporaria precariaque, ut iam ante demonstratum est, vitam minime iucundam, sed potius languidam, fere inertem, hincque admodum ingrati, egerunt. Quid ideo est, quod dubitemus, istos nil nisi reditum in patriam dulcem suspirasse quam maturissimum?

Quam ardens id desiderium redeundi, quo Professores exules flagrarunt, fuerit, patet dilucide ex literis supplicibus, dubio procul iam A. MCCCCLXXXVII. paucos menses post abitum, ad INNOCENTIUM VIII. P. M. datis, quibus lares repetendi licentiam vehementer etiam atque etiam rogarunt. Quarum precum testis est locuples fideque dignissimus huius Pontificis M. diploma A. MCCCCLXXXVIII. d. XV Kal. Aprilis, seu XVIII. Martii *Roma Lubecam* missum, cuius iam antea mentio facta est ³⁾, quo Pontifex M. Academiae Civium desiderio *Rostochium*, licet nondum pacatum, redeundi indulserat.

Operae

1) *l. c. L. VIII. c. 26. pag. 226.*

2) *l. c. pag. 864.*

3) Hoc P. M. diploma exstat quidem in *Corollario XVII. subiuncto Urkundl. Bestaerig* atque in *SCHRÖDERI Papist. Mecklenb. p. 2405. ac in Rost. Etwas 1738. p. 301. seq.* sed in libris istis annus, quo hae P. M. literae publicae datae sunt, haud tecte nominatur, *millesimus* nimirum *quadringsesimus octuagesimus septimus*, cum annus potius fuisset proxime sequens *MCCCLXXXVIII.* nominandus, id quod iam ex anno diplomati adiuncto, *Pontificatus quarto*, alias ut rationes sat gra-

Operae pretium esse duco, ex diplomate verba, Professorum miram redeundi cupiditatem, quae istos tenuit, declarantia, heic repetere; *Vestra*, scribit Pontifex M., nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, quum — — vos ut obedientiae filii mandatis apostolicis obtemperare volentes, ab eodem oppido, (Rostochio) recessistis, ut non absque magnis incommodis, damnis et detrimentis ad alia loca vos contulisse coacti estis, — — et si extra dictam Universitatem maneatis, studium universale in nihilum iri posse, verisimiliter creditur. Quare pro parte vestra est supplicatum, ut ad oppidum praedictum regredi, in illo manere, et — — actus scholasticos quoslibet exercere valeatis, concedere, et alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur singulos *Vestrum* a quibuscunque excommunicationis et interdicti censuris et penis — — absolventes — — huiusmodi supplicationibus inclinati, *Vobis*, quod — — ad oppidum praedictum redire, et in illo quilibet in suo loco manere, ac regere, legere, et actus quoslibet scholasticos exercere, nec non licentiam et gradus conferre — — apostolica auctoritate — — indulgemus.

Eodem plane tempore, (die Martis post hebdomadem in fastis Lactare insignitam A. MCCCCLXXXVIII,) Senatus Rostochiensis a civibus suis Academiae exuli patriaque extorri veniam huc revertendi impetrarat, quam quoque rem nostrae Scholae illustri laetam diuque exoptatam iste *Senatui Lubecensi* literis notam fecit 4).

A 3

Cre-

graves taceam, dilucide colligi potest. Etenim Innocentius VIII. 1484 d. 29. Aug. in P. M. fastigium evertedus est, hincque quartus huius dignitatis annus esse potest non nisi 1488. v. III. RUDLOFF I. c. pag. 864. n. i.

- 4) Saepius nobis laudatus Io. HENR. a SEELEN hoc egregium documentum antea *въведъ ров*, quod *Lubecae* a quodam fautore acceperat, suis supra memoratis ad *Iacobi Middendorpii* librum *de Academiis Analectis* p. 14. seq. inseruit, atque ab oblivione, quin interitu, vindicavit, ex quibus ego illud heic reperam:

„Unseren vründlichen gruds mit vermoge alles gudem to voren.
„Erfame, wolwile Heren, besunders gude vründe. Nühelichst
„vot

Crederene fas est, Academiam veniam hanc sibi concessam, tam a Pontifice M., quam civitate Rostochiensi, neglexisse, nec ista opportunitate avide usam fuisse redeundi?

Porro

„vor Reminiscere Ferien was Iuwe ersamende sämptliken mit den
 „andern Ersamen Heren Rades Sendesbaden der Wendischen Stede
 „tor sulven tydt binnen Iuwer Stadt Lübecke to dage vergaddert
 „von wegen der Achtbaren und Hochgelarden Rector, Doctoren
 „unde Meysteren der Universitaet unde Hohen Schole binneu
 „unser Stadt Rozstock, de denne in vortyden mit unsere willen
 „unde Fulbort van uns unde unser Stadt entweken sint, unde sick
 „betheren in juwer Stadt entholden hebben, manckt andere be-
 „gerende, wy der halven mochten mit unsen Borgern spreken,
 „unde desülven Rector, Doctoren unde meisteren mit den eren
 „eren Flor unde ersten Staet wedder kamen mochte, unde wo
 „dat Iuwe Breef wieder vormelder. Darupp don wy Iun semli-
 „ken weten, dat wowol de saken noch zerversch unde unsere Bor-
 „ger zervorweret sint, so dat wy wol hadden gesehen, dat sick
 „desülven Rector, Doctoren unde meistere noch sake halven mit
 „den eren ichters welke wile des Inkamendes hedden entholden.
 „Hebbe wy doch mehrens den nyn mit unsen Borgern gut sitigste
 „der saken halven umme alles gudes gelimpes willen mer wenne
 „to einer tydt gehandelt, vlydt angekert unde ynt ende mit swar-
 „heit van en erlanget, dat de ernömende Rector, Doctoren unde
 „Meistere mit den eren, wenn et dat gelivet, mogen wedder to
 „uns inkamen, darßulves mit uns wesen, unde umme gaen, Ere
 „leksfen unde Dispration öven, unde continueren Iun aller mathe
 „unde wise so vörhen gescheen ifs, darane wy ze inndemeze sick
 „borliken wegen unsere Borgere unde Innwoner holden, gerne wil-
 „len vorbedingen, beschütten unde beschermen na unsere besten
 „vermöge, so wy ock yn erthyden gedaen hebben. Mochte wy ock
 „Iuwen ersamen heden unde den günnern unsen leven naberen unde
 „Fründen der Stede vor Fründen ane to willen sin, deden wy
 „mit alleme Flyte gerne. S. under unser Secret am Dingesche dage
 „na Letare Weken. Sub anno Dni MCCCCCLXXXVIII.
 Borgemeister unde Raetmänner to
 Rozstocke.

Inscriptio est

Den Ersamen wolwisen Borgermestern unde Raetmännern der Stadt
 Lübecke, unde den ersamen Heren Rades sendebaden der Wendischen
 Stede an zonavende na Invocavit dar sulvest to Dage vorgaddert
 sämptliken unde besunders guden Fründen.

Porro Academiam iam MCCCCXCI. circa diem d. *Michaeli* sacrum longo abhinc temporis spatio ex exilio *Lubecensi Rostochii* comorata fuisse, docent literae supplices ad *Duces* dicto tempore datae, quas legendas tradit *viceſimum tertium corollarium* additum *Urkundl. Beſtättigung*, iam antea a me commemoratum. In his enim literis Academici se non solum *Principibus* excusare adnituntur, quod, iis invitis, *Rostochium* repetierint, sed etiam haud celant, post reditum se constituisse, *denuo urbem uniuersae relinquere, iterum si molestis censuris onerandi forent* 5). Qua etiam ex causa a *Ducibus* anno MCCCCXC m. *Junio* d. *Mercurii* post diem d. *Vito* sacrum literas tuti com meatus itinerisque iam petierant, easque impetrarant.

Quin Academiam iam A. MCCCCLXXXIX. ineunte *Rostochii* in sedem suam antiquam restitutam fuisse, dilucide dubioque procul ex chirographo a *Senatu Rostochiensis Academiae, in urbe sua sitae*, d. 1. Febr. dicti anni dato patet, quo chirographo ille huic pollicetur, se duobus post annis centum Florenos Rhenenses, ab Academia mutuos acceptos, redditurum esse. Cuius chirographi exemplum *Tabularii*

- 5) In memoratu dignissimis, ac saepius a me citatis literis, quas ad *Duces* Rector et Concilium acad. MCCCCXC. d. *Mercurii* post *Michaelis* ferias dederant, quaeque exstant in *corollario XXIII. Urkundl. Bestaetig.* annexo, scribunt illi huc pertinentia,

Ock umme ander merkliche Sacke willen hebben denne in mening wesz samerlicken wedder utb totende so wüder mit grozen Censuren up dat nye beschweret hebben worden und nicht in Menunge gewest syn juwen Gnaden sacke teghen to plichtende ofre yemendr tegen juwe Gnaden to sterckende, sündere allene syn ingetagen juwe Gnaden Univerſiteten to gude da wy myt unſen Eden dar beste to donde verplichtet syn, dar wy uns alle in groter Vore lyves und godes ſtirighen sündere jeniges leye Trost by bewyſet hebben na all unſen vermögen, des is denne unſe geſtliche hopen wy deshalben juwen Gnaden nycht vorfallen syn worümme is unſe demorbige Bede unde berelicke Begehr juwe Fürſtlicken Gnaden willen uns alze ere arme Cappellane in eren Hulden, Gunſten und Gnaden beholden, beſchürten unde beſchermen zo juwe Fürſtliche Gnaden all ryd gerne geßan hebben, des wy juwen Gnaden hochlicken bedancken.

larii Serenissimi Ducis nostri Praefectus intimus, Ill. EVERS, nobiscum benevole communicavit, infra descriptum ⁶⁾).

Huc accedit, quod Philosophorum Ordinis Album pervetustum doceat, JOHANNEM BERCHMANN ⁷⁾, die d. Dionysio sacro anni MCCCCLXXXVIII, iterum huius Ordinis Decanum electum, atque honores academicos, istis dignis, collatos fuisse, id quod in tribus proxime praeterlapsis semestribus haud contigerat. Ex hoc quoque Albo constat, se in hac Professorum Classe postea consueto more Decanos, diebus d. Tiburtio et Dionysio sacris, haud interrupte excepisse; Academiam ergo circa diem d. Michaeli dicatum, A. MCCCCLXXXVIII. Rostochii in antiquo fuisse stata, nullam habet, ut ego quidem opinor, dubitationem. Qua cum sententia KRANTZII antea iam citata verba concordant, quae repetere necesse esse duco; quia multum momenti hac in re habere mihi videntur: *Universitas — — aliquamdiu se ab urbe retraxit, sed postea, quum res in Trugis esset, locum suum repetentes redierunt.* Inde igitur liquet nobis, Academicos exules Lubecae perbreve tantum tempore fuisse commoratos.

Num

- 6) „Wy Borgermestere unde Rathmanne der Stadt Rozstock bekennen „openbar In desseme breve vor als wenne, dat wy entfangen van den „werdigen Heren Rectore, Doctoribus unde Meistern des Rades der „Universiteten in unse Stadt betegen hundert gude Reinsische „gulden, de se uns In unsen nöden to unser Stadt behof umme Fründ- „schop willen hebben Twe Jarlang negen kamende — — „gegeven na der bort Christi Verthein hundert unde in deme negen „unde achtrigsten Iare an awende unfer leven Fruwen to lichemissen.
- 7) Post annum 1486, quo Alb. Krantz inde a Tiburtii die, et Balthasar Ienderick, inde a Dionysii die, Decani munere functi sunt, iam sequitur sine ulla verborum intercapidine: Anno 1488 Dionysii electus est Decanus Magister Iohannes Berchmann, sub quo promoti sunt Magistri 3, Baccalauri 6. Anno 1489, Tiburtii die electus est Decanus Magister Bodensen, sub quo promoti sunt 6. Baccalauri. Eodem anno Dionysii electus est Decanus Magister Ioh. Berchmann, sub quo promoti sunt Magistri 2, Baccalauri XI.

Num ergo quis, haec omnia indicia flocci pendens quam clarissima, adhuc dubitaret, an Professores *Lubeca* aestivis mensibus A. MCCCCLXXXVIII. haud multo ante diem *d. Michaeli* sacrum lares repetierint, licet quoque *pervetustum Academiae Album* hac de reditione taceret? Haud tamen hac de re penitus fileat. Nam qui ante memoratis indiciiis instructus, verba in *Albo acad.* consignata attentissime legit, eaque acri iudicio perpendit, dubius esse haud potest, *Academiae Rectorem* intra *II. et XVI. d. m. Aug. A. MCCCCLXXXVIII. Lubeca Rostochium* revertisse. Verba enim ita se habent: *Anno Domini MCCCCLXXXVII. ipso die Sancti Dionysii dictus Dominus et Magister Arnoldus in imperiali civitate Lubicensi in suo Restoratu fuit continuatus, sub quo anno sequenti intitulati sunt infra scripti:*

A u g u s t i

Martinus Hillemann de Mynda II. die in civitate Lubicensi dd. 11. Marc.

Matthias Gronenhaghen de Luneborch dd. 11. Marc.

Petrus Radeleves de Buxtehude — — —

Ludolphus Dassel)

Karstianus Zwertvegher) *de Luneborch.*

Hermannus van der Decken de Vryborch —

Johannes Kroneke de Oesten.

Hermannus Honed de Hannover.

Karstianus Dalvitze — —)

Joachimus Budde — —) intranei

Johannes Namynk de Embda

XVI. die

Quia intra *XX. d. m. Junij A. MCCCCLXXXVII. et II. m. Aug. A. MCCCCLXXXVIII.* nulli in albo inscripti fuere, nec in eo reditionis *Rostochium* factae mentio fit, censendum est non sine ratione, omnes his annis in album relatos *Rostochii* iura academica accepisse. Etenim *Academia Gryphiam* secedente, diserte in albo adnotatum est,
 B
 quinam

quoniam literarum studiosi extra *Rostochium* civitatem impetrarunt academicam, nec satis habitum est, in albo suo loco addere verba: *Infrac notati sunt intitulati Grypeswaldi propter translationem Universitatis Concilii Basiliensis — — factam*, sed et in fronte et in margine huius paginae scriptum legimus: *Gryphiswaldi intitulati tempore translationis*, idque maioris evidentiae causa, ut ego quoque in prima hac de historia commentatione rem exposui. Id vero in hac temporis periodo, de qua iam agimus, longe aliter est.

Porro, quoniam in albo non scriptum legimus, *Martinum Hillemann Lubecae in isto inscriptum esse*, sed tantum modo, *eum II. m. Aug. dedisse in civitate Lubicensi II. Marc.*, ideo sine haesitatione colligere possumus, Academicorum reditum iam adpetiisse, dictumque juvenem pretium eo fine perfolvisse, quo studiorum causa itineris societatem facturum esset.

Porro *Dalvitze et Budde die XVI. Aug.* in albo inscripti, ac *intraneorum* nomine insigniti, absque ulla dubitatione sunt *Rostochienses* aestimandi. *Intranei* enim in albo opponuntur non tantum *Lubencibus*⁸⁾, aliisque extraneis, sed etiam *Megapolitanis* extra *Rostochii* moenia natis. Lubecae adhuc in album relatio si hoc semestri facta fuisset, num scriba *Rostochienses intraneorum*, *Lubencenses* autem proprio nomine insignivisset?

Praeterea literae supra commemoratae a *Senatu Rostochiensi* ad *Lubensem* datae, testantur, *Rostochii* tribus iam hebdomadibus ante Paschalia sacra A. 1488. omnia, ad Academiam exulem recipendam, parata fuisse; quapropter dubitari nequit, quin *ARNOLDUS BODENSEN*, Rector, d. XVI. Aug. A. MCCCCLXXXVIII. in urbe adfuerit, inque albo *decem* interea advenientes iuvenes inscribi curaverit.

Optandum quidem esset, res ut hac in temporis periodo gestae in albo dilucidius consignatae fuissent; sed iam supra monui, indicem in-

8) Sub Rectore *Bodenseno* 1488 duo *Lubencenses*, nempe d. 14. Octobr. *Conradus Elven*, et d. 31. e. m. *Eggerius Trybbe* in albo inscripti sunt, ac amborum nominibus adiectum est *de Lübeck*.

inceptorum, finito demum Rectoris munere, more solito a scriba in album relatum esse, qui ab antiqua usque recepta formula ne tantillum quidem declinare sibi religioni duxit, secundum quam tantummodo series Rectorum et literarum Studiosorum, in numeros relatorum, adnotanda erant. Inde explicabitur, cur diem *Tiburtii A. MCCCCLXXXVIII.* quo Professores fugaces *Lubecae* de eligendo Rectore nil egerunt, silentio praetermisit scriba.

Quorundam ergo querela⁹⁾, maiorum nostrorum in primis incuriam ac negligentiam in causa esse, multa ut hac in historia obscura, tenebris involuta, atque intricata fiat, modum excedere mihi videtur. Annalibus enim cum cura, nec oculis fugientibus et conniventibus, perspectis, controversia de tempore exilii *Lubecensis* ac reditionis in patriam iam est mea quidem sententia composita, atque iam constat, *Academiam nostram A. MCCCCLXXXVIII. mense Augusti penates repetiisse, ac antiquam occupasse sedem.*

Nihilo minus quidam viri, et praesertim exteri, eruditione arteque historica conspicui, quibus adeo nonnulli huius Academiae Doctores auxilia ac argumenta subministrarunt, huic meae adsertioni adversantur, exilium *Lubecense* rationibus dictu speciosis prorogantes, quas iam, ne veritati officiant, accurata statera examinabo, istarum vanitatem demonstrando.

Ante alios IOANNES HENRICUS a SEELEN, *Gymnasii Lubecensis olim Rector*, eruditionis fama clarissimus, conscripsit *Schediasma historicum de Academia Rostochiensi apud Lubecenses an. MCCCCLXXXVII. et seq. commorata*¹⁰⁾; in qua commentatione,

B 2

ratio-

9) v. *Rostocker Etwas von gelehrten Sachen 1737. pag. 806.* Man kann, querunter huius diarii auctores, ueberall in die Zeit-Rechnung sich nicht wol finden, — — Es kommen dabey so viele Kaezel aufzuloesen, das man ganz stille dabey stehen, und fast boese ueber der Alten Unachtsamkeit werden muss.

10) Primum typis editum est *Lubecae MDCCXXXII. 4;* deinde huius Viri docti *Miscell. P. I. pag. 214. seq. insertum.*

rationibus multis, veri speciem admodum simulantibus, adeo, ut quoque *I. V. Licentiatum ac Reipublicae Lubecensis a Secretis*, I. R. BECKER¹¹⁾, historiae Lubecensis scriptorem celeberrimum, commoverit, illius in sententiam ire, planum facere annifus est, *Academiam nostram Lubecae usque ad annum MCCCCXCII. commorata fuisse, et tunc demum Rostochium sedem suam postliminio repetiisse.* Nos vero, omni partium studio procul habito, *Viri doctissimi* argumenta cum lectoribus communicaturi, atque trutina accurata examinaturi sumus, ex quo autem examine dilucide aequis patebit arbitris, cur in illius sententiam descendere haud sustinuerimus.

Sententiam suam probare, ac lectoribus commendare studet *doctissimus a SEELEN* tam testimoniis multis historicorum et oratorum ipsius nostrae Academiae, quam loco quodam ex *veteri Albo Academico* accessit; quae argumenta singulatim iam a me in medium adferenda, cum cura expendam.

Primum argumentum petit *Vir celeberrimus* ex *DAV. CHYTRAEI Saxon. L. III. p. 229.* *Gryphiswaldo reversi*, scribit *CHYTRAEUS*, *Academiam recollegerunt sequentibus XL. annis mediocriter in haec Germaniae tractu clarentem, donec Rostochiensibus iterum ab Episcopo Suerinensi, ob impeditam erectionem ecclesiae collegiatae d. Jacobi, interdicto subiectis, appellationi eorum ad Pontificem se coniunxerunt. Verum obsidione urbis MCCCCCLXXXVII. secuta, coetus discensium dissipatus, sed, restituta pace, denuo Dei beneficio MCCCCXCII. instauratus et auctus est, ut Rectore illius Erico, Duce Megap., Magni filio, rursus mediocriter Schola floreret et celebraretur.*

Sed *CHYTRAEUS* clare non adleverat, *Academiam demum A. MCCCCXCII. Lubeca revertisse, sed eam potius tantum isto anno instauratam auctamque fuisse, adeo ut Rectore illius Erico, Duce Megap., rursus mediocriter floruerit ac celebrata sit, id quod fieri potuit, licet iam antea revertisset debilis ac imbecillis, quia excidium et vastitas tam misera fuerat, ut haud confestim ac statim vires floremque recolligere potuerit. Ac si quoque CHYTRAEI mens illa fuisset,*
Aca.

11) l. c. Vol. I. pag. 462. seq.

Academiam MCCCCXCII. demum *Lubeca* penates suos repetiisse, illi tamen fidem habituri non essemus, quia id, nullo his turbis propiore teste laudato, adfirmat; et in errore simul versaretur, quoniam ex rationibus supra iam a me allatis dilucide adparet, Academiam iam ante saepius memoratum annum rediisse.

LINDENBERG, ad quem deinde a SEELEN provocat, in *Chron. Rost. pag. 163 seq.*, annum reditus haud definit, tantum modo referens, *Academiae cives, cum res compositae essent, locum suum repetentes, postliminio rediisse*; hincque hic patriae historicus causam Auctoris nil adiuvat, nec verba in margine dictorum *χρονικῶν* ab ignota manu scripta: *Anno 1492. uno mense Maio 96 adolescentes nomina Rectori dederunt, clare demonstrant, hoc anno reditionem factam esse.*

Ex Oratoribus, quos a SEELEN citat, duo tantum, nempe THOMAS LINDEMANN, *Juris Doctor et Prof. Rost.*, et LAURENTIUS a BODECK, *Eloquentiae in Academia Varniaca quondam Professor, Universitatis nostrae MCCCCXCII. restitutae et redeuntis ineminerunt*; quorum ille in *Oratione panegyric. secular. MDCXIX. habita in Iubileo Acad. Rost. pag. 91. scribit*; *Academia, ut sunt rerum vices, anno saeculi XV. LXIV et LXXXVI. non contage tantum pestilentiali, sed et obsidione quinquennali, Thomae Rodii, Cancellarii Ducalis, interneccione concitata, dissipata, anno XCII. restituta*; hic vero in suo *Rosa Varniaca, sive Oratione MDCLXIV. ipso die natali Academiae, die XII. Novemb. recitata, hoc perhibet testimonium: Academia haec desolata, velut Rosa flaccescens, Lubecam MCCCCCLXXXVII proficiscitur. En! spina. Excipitur cum summo honore a Senatu Magnifico. Rectoratum ibidem Magistro Arnoldo Bodensenio continuante, repetit, rebus compositis, postliminio sedem suam, XLVI. adolescentum inscriptione, uno mense Maio anno MCCCCXCII. Ast, ut omitam, testimonia, ex Orationibus prolata, haud facile sine cautione ac circumspicione admittenda esse, his de testimoniis est idem iudicandum, quod iam antea de CHYTRAEI narratione monui.*

Tertium quidem argumentum, ex *veteri Academiae Albo* peti-
tum, quo doctissimus a SEELEN suam tueri studet sententiam, primo
intuitu est speciosum, et remissis se commendat oculis; sed attentus
Albi lector ac contemplator facile detegit illius vanitatem levitatem-
que. Enim vero quia eruditionis fama inclito a SEELEN b. FRANC.
ALB. AEPINVS, *nostrae Academiae quondam Theologus magni nominis*,
haec arma subministravit, operae pretium esse duco, ex Schediasmate
memorato partem huc pertinentem litterarum ab AEPINO ad *Auctorem*
datarum heic repetere:

“NB. Rectore Ioh. Eberbach 1491. gehen die Inscriptiones una serie
“fort, bis an den 9. November, an welchem noch inscribirt ist Dit-
“hardus Sartorius de Stadthagen. Immediate darauf steht, die Rei-
“he etwas eingeschoben, also:

“Sub Rectoratu praefati Ioh. Eberbach
Decembris

“und es trift sich, das dieses eben die paginam schliesset, darauf
“init. pag. sq. inscribirt:

“Alexius König, de Sundis, 1. die,

“Udalricus Kerckhof, de Jarburg,

“Georgius Bruner, de Sradis, 3. die, cet.

“Als nun was ungewöhnliches, das in medio Catalogo inscripto-
“rum eiusdem Rectoris nomen repetiret, und aufs neue dazwischen
“geschrieben werde, so mus es ohne allen Zweifel, da es sich hier
“so findet, etwas extraordinaires bedeuten. Dahero den mutmaß-
“se, das die translatio, seu reditus Academiae ad locum suum or-
“dinarium, i. e. Rostochium, zwischen den 9. Novembr. und 1.
“Decembr. 1491. müsse geschehen seyn.

Ast laudatus AEPINUS non attentis, sed potius fugientibus *Album*
inspexit oculis, hincque est eius error obortus. Nam A. MCCCCXCI.
die, diem *Dionysii*, sacrum, sequenti, *Magister et in Medicis Doctor*,
IOH. EBERBACH, Rector electus est, qui quoque m. Octobri XX. iuve-
nes

nes in Albo inscripsit. Iam sequitur Prorektor, BALTHAAR IENDERICK, qui vicarium hoc obiit munus a die XXV. Octobris usque ad inuentem in Decembris, quo tempore EBERBACH, ordinarius Rector, fascis academicos iterum capessivit; hacque ex causa eius nomen, versu aliquantum reducto, in *Albo* repetitum est, qui mos ac consuetudo in aliis etiam annis toties, quoties *Prorektor* intercesserat, semper invaluit. Minime ergo ex hac nominis, versu aliquantum reducto, facta repetitione cum AEPINO et a SEELEN colligi potest, *Academiam*, EBERBACHIO *Rectore*, MCCCCXCI., seu, ut a SEELEN opinatur, sequenti anno *Lubeca penates repetiisse suos*. Praeterea argumenta sat gravia, supra a me in medium allata, vetant, quo minus huic subscribamus hypothesei vanae ac futili¹²⁾.

Sed redeamus ad *Academiam* reducem, perquisituri adhuc paucis ac strictim, quibus fatis in tribus post reditionem proxime sequentibus annis, ac turbis in urbe nondum compositis, usa fuerit.

Equidem, lite de *ecclesia d. Iacobi collegiata* usque ad A. MCCCCXCI. fervente nec senescente¹³⁾, Universitas nostra literaria aerum-

12) SCHROEDER quoque in *Papist. Mecklenb. pag. 2465. seq. a Seelen* argumenta, quibus iste tueri admissus est, *Academiam* nostram *Lubecae* usque ad A. MCCCCXCII. commemoratam fuisse, ad examen vocavit, et necum fere idem, licet haesitabundus, sentiens, eandem de vanitate huius opinionis tulit sententiam. In eo etiam nobis adsentitur SCHROEDER, *Academiam Rostochio* MCCCCLXXXVII. abiisse, at anno proximo in patriam sedemque antiquam revertisse, adeo ut exilium haud longius, quam XIV. seu XV. mensium perpessa sit.

13) Licet SCHROEDER l. c. ac FRANCK in *alt und neu Mecklenb. Lib. VIII. c. XXVI. seq.*, alique patriae historici, has infaustas lites turbasque fufe lateque literis mandariut atque exposuerint, nos tamen, quia isti fluctus civiles arcto vinculo cum fatis reuerfae *Academiae* iuncti fuere, impediētes, quo minus haec, durante adhuc in urbe turbido statu, vires priorem que florem recipere non potuerit, *historiam* horum motuum civilium ex laudatis scriptoribus strictim repetemus, eorum summas tantum modo attingendo, Tam foris erat, quam intra urbis muros ingens diraque malorum infidebat moles, *Principibus* quippe, iustis

ex

aerumnis immunis liberaque haud fuit, adeo ut ista, in literis, saepius iam commemoratis, a. MCCCCXCI. die *Mercurii* post *Dionysio* sacrum ad *Duces* datis consilium suum, ex urbe denuo se mouendi, haud celaverit; quo etiam sine a. MCCCCXC. a *Principibus*, uti supra dictum est, literas tuti itineris iam in antecessum petierat, atque etiam impetrarat ¹⁴⁾; nihilominus tamen in urbe remansit, atque, lite inter *Duces* et civitatem nondum sopita ¹⁵⁾, iuvenum Literarum avidorum incremento haud quidem invidendo, sed tamen modico aucta est, floruitque.

BODEN.

ex causis civitati contumaci iratis, una cum sociis suis, *Pomeranorum* ac *Brunsvicensium Ducibus*, urbem obsidione prementibus, eamque terra commeatu intercludentibus, intra moenia autem discordia ac tumultu grassantibus, bacchantibusque. *Runge* enim, homo ex infima quidem plebe, ad omne autem facinus audax, suis cum amentiae scelerisque sociis, non Senatum solum in prodicionis crimen vocans, Senatorum plures sua pro lubricine indictaque causa dignitatis gradu deturbabat, sed etiam divitibus et bene de republica sentientibus, necem ac interitum machinabatur, ita ut urbi exitium institeret, huius nisi nefarii viri impia consilia prudentia Magistratus ac ope proborum civium fracta atque compressa fuissent, isteque tandem una cum furoris satellitibus atque ministris, scelere dignas luisset poenas. Quibus scelestis interentis, ope tandem *Wendorum* civitatum pax inter *Duces* et urbem conciliata est, haecque cum illis in gratiam rediit, qua de rerum laeta conversione postea pluribus acri sumus. Enim vero coniectu facile est, quantum detrimenti his ex turbis, urbem et foris et intra moenia infestantibus, ceperit Academia redux in patriam, nec dici potest, quantopere istae illius incremento florique obstiterint. Inter arma enim Musae inermes iuxta, ac leges, silent. Hac quoque forsitan ex causa praesertim Academici animum induxerant, urbe iterum exire, sedemque mutare, qua etiam mente, uti postea dicetur, a *Ducibus* tuti commeatu ac itineris literas A. MCCCCXC. demum petierant, easque impetrarant.

- 14) In Programma Paschalibus sacris dicato pag. 17. n. 22. monui, has literas tuti commeatu a *Ducibus* MCCCCXC. Academiae datas, exstare in corollario XIX. ad *urkundl. Bestaettig.*, iam addo, istas etiam reperiri in *SCHROEDER papistich. Mecklenb. pag. 2445*, ac in *Roff. Etwas 1737. pag. 161. seq.*
- 15) Infaustae hae diraeque lites compositae tandem sunt anno MCCCCXCI. die *Veneris* ante *Pentecostalia* factae; *Conventum* hoc die *Wismariae* inter

BODENSEN enim, antequam Rectoris munere abierat, in Albo inferibi curavit XL. adolescentes ¹⁶⁾; LAMBERTVS VRYLING semestri hiberno a. 1488. VIII; BERCHMANN 1489. semestri aestivo LXVI; JENDERIK 1489. semestri hiberno L; BERCHMANN 1490. semestri aestivo XXVIII; BODENSEN eodem anno semestri hiberno XXII; ARNOLDUS SEGEBERG 1491. semestri aestivo XCV, in quo tandem semestri pax quiesque rediit laeta. Haec quoque pax ac gratiae reconciliatio tunc imminens, ac haud ita multo post confecta, praecipue in causa fuit, cur studiosorum numerus hoc semestri tantopere invaluerit ¹⁷⁾; qui

inter *Duces* et civitatem initum posteris reliquit SCHROEDER *l. c.* pag. 2452, et quidem, ut adseverat, ex primo exemplari correctius et emendatius descriptum; ita quoque typis reperitum est in FRANCK *alt und neu Meckleub. Lib. VIII. c. XXVIII.*, pag. 245. *seq.*

16) Inter hos XL. adolescentes in albo inscriptos sunt tantummodo II. *Megapolenses*; ita quoque res se habet usque ad A. MCCCCXCI., quo in anno pax cum Ducibus est facta, quippe admodum pauci indigenae hoc tempore adhuc turbido huc profecti, Academiae nomen dederunt. Id quod mea quidem sententia indicio luculento est certoque, quam invisa fuerit harum terrarum incolis haec urbs diris devota, ac turbulenta et seditiosis civibus repleta. Forsan *Duces* sibi subiectis terrarum incolis mandatis interdixerant, filios suos studiorum causa in hanc urbem mittere, Dominis suis contumacem, ne illi edocerentur, hoc civium improborum exemplum perniciosum imitari ac sequi; nec parentes sperare poterant, filios suos ibi inter strepitus armorum quiete, uti par esset, literis vacare, inque iis proficere posse. Inde ergo liquet, nec ulli obscurum est, cur Academia in patriam redux, durante inter *Duces* et urbem bello, nec lite composita, langueret debilis, nec vires colligere potuerit ad incrementum necessarias.

17) Coronidis loco ex albo acad. adponam rem, quae, hoc Rectore, accidit, ac memoratu mihi haud indigna visa est. Nimirum 1491. die 28 m. Maii, verisimiliter proxime a pace inter *Duces* civitatemque *Vismariae* conciliata, *Principum Cancellarius* in albo inscriptus est, et quidem honoris causa gratis, nec solito pretio persoluto. Verba in Albo sic habent: 1491. Maii d. 28. Dominus Iob. Tegkeler de Waltersbusen, Cancellarius Ducum Megapolensium Decanusque Ecclesiae Iacobi Rostocensis, honoratus cum intrivulatione XXVIII. die.

Tandem adhuc in calce huius commentationis addam, quia ab historia turbarum, ob *Templum collegiatum* conditum ortarum, haud alienum esse videtur, in sequentibus quoque temporibus, dum id templum

qui Academiae flos nec posthac subito emarcuit, cum in proxime sequentibus sex semestribus 76, 151, 61, 100, 103, 121, adolescentes in numeros relati fuerint.


plum incolume salvumque stetit, Professores etiam in dignitatem atque *Præfulum* ad istud evectos esse, id quod testatur *album Acad. vetustum*, in quo *Barthold. Möller*, *Rector per aestatem a MDXIX. Decanus Collegi cathedralis nominatur*. Sui ergo voti tandem Professores compotes facti, honores in *Templo* amplissimos, quibus, ut iam supra inuimus, statim ut illud condebatur, inhiarant, pariter ac alii, adsequuti sunt.

Enim vero *ab his sinistris fati*, quibus *nostra Academia saeculo XV. conflabatur*, animum ac cogitationem vertamus ad sacra, quorum memoria his diebus pie recolenda est atque celebranda. Iam enim a *Praeconibus sacris* nos publice admonemur, *SPIRITUI* ut *DIVINO* pia mente debitas agamus gratias, quod olim hoc tempore *Apostolos*, ad *Legatorum divinatorum* munus rite obeundum, vi donecque largiter instruxerit, tam miracula ac ostenta, religionem, cuius erant *praecones*, obsequantia, edendi, quam mortales doctrina sua divinis et hominum generi universo salutaribus veritatibus *praeceptisque* instruendi, quo etiam ministerio gravi arduoque hi *Legati divinitus missi* tunc temporis prima eaque firmissima iecerunt nostrae religionis fundamenta, quibus illa quoque nunc immota manet, hostiumque adfultibus fortiter resistit, nec irrisorum cavillationibus labefactari potest.

Quo hac in meditatione hos per dies festos atque sollemnes *VOS, CIVES O. O. H.* versemini, pro mei officii ratione *Vos* iam ea, qua par est, humanitate serio adhortor, praesertim quoniam *Vestra* salus summa eaque aeterna iam agitur, cui consulatis ac provideatis, etiam atque etiam oro rogoque.

P. P. SVB SIGILLO RECTORIS
DIE XIX. MAII MDCCLXXXIII.

3. Mai 1954



qui Academiae flos nec post-
quentibus sex semestribus 76
in numeros relati fuerint.

plum incolume salvumque
et Praesulum ad
vetustum, in quo *Bartholomaeus*
Decanus Collegi cathedra-
res compotes facti, h
supra innuimus, statim
alii, adsequuti sunt.

Enim vero ab his *seculo*
XV. conflictabatur, au-
quorum memoria his diebu-
enim a Praeconibus sacris
DIVINO pia mente debita
Apostolos, ad *Legatorum*
que largiter instruxerit, tam-
erant praecones, ob signati-
divinis et hominum generi-
que instruendi, quo etiam in-
missi tunc temporis prima
fundamenta, quibus illa quae
sultibus fortiter resistit, nec

Quo hac in medita-
vos, CIVES O. O. H. v
ea, quae par est, humanitate
salus summa eaque aeterna
etiam atque etiam oro rogo

P. P. SV
DIE XI

marcuit, cum in proximo se-
100, 103, 121, adolescentes

essores etiam in dignitatem atque
le, id quod testatur *album Acad.*
ector per aeternam a MDXIX.
Sui ergo voti tandem Professo-
plo amplissimos, quibus, ut iam
debat, inhiarant, paciter ac

quibus nostra Academia sae-
pitationem vertamus ad sacra,
la est atque celebranda. Iam
admonemur, SPIRITUI ut
tias, quod olim hoc tempore
nus rite obeundum, vi don-
c ostenta, religionem, cuius
quam mortales doctrina sua
ntaribus veritatibus praeceptis-
i arduoque hi *Legati divinitus*
na iecerunt nostrae religionis
mota manet, hostiumque adful-
lationibus labefactari potest.

er dies festos atque sollemnes
o mei officii ratione Vos iam
praeferrim quoniam *Vestra*
cui consulatis ac provideatis,

O RECTORIS
CLXXXXIII.

